Opuscula

IMAGO
MAGNI PRÆSULIS,
ILLUSTRISSIMI olìm *& REVERENDISSIMI DOMINI,*
D. MICHAELIS
In MAGNA KUNICE
KUNICKI,
Dei & Apostolicæ Sedis Gratiâ
EPISCOPI Arsionensis, SUFFRAGANEI, CANONICI, VICARII in Spiritualibus, & OFFICIALIS Generalis Cracoviensis, ABBATIS Commendatarii *Claræ Tumbæ* &c.
Sangvinis, Virtutis, & Meritorum coloribûs
EXPRESSA.
dumq; Ei in Ecclesia Cathedrali Cracoviensi Justa funebria publico dolore persolverentur,
PER
M. ANTONIUM JOSEPHUM ZOLĘDZIOWSKI, Philosophiæ DOCTOREM, Regium PROFESSOREM, Collegam Majorem, Ecclesiæ Collegiatæ S. ANNÆ CANONICUM, Parochialis *in Krzęćin* CURATUM,
inter mortuales umbras,
Publicæ luci
EXPOSITA.
Annô Domini 1751. *Die* 29. *Mensis Novembris.*

CRACOVIÆ,
Typîs Collegii Majoris Universitatis Cracoviensis.

In Avitum Decus
ILLUSTRISSIMÆ
DOMUS.



Monnoceros cornu cur impetis Aſtra Polumq́;?
  PONTIFICEM forſan vis rehabere Tuum.
Non repetes unquàm, cum ſeſe tranſtulit illuc,
  Unde hominum nulli jam remeare licet.
Nulla tamen jactura Domûs! cum PRÆSULIS iſta
  Poſthuma quam cernis, ſupplet *Imago* vices.

IMAGO
MAGNI PRÆSULIS.

NIhil plus in homines audet,
quàm fata;
inter infantiles eos fascias sibi mancipant,
inter crepundia mortis aleâ illudunt,
fervidam juventutis ætatem ferali gelu glaciant,
deductum ad senium vitæ filum præscindunt.
Minùs esset si in hominum fæcem id auderent;
Verumtamen
& Virorum Maximos tricubitales redigunt ad angustias,
Regnorum Soles eclipsant,
Illustrissimos umbris involvunt,
Celsissimos ad ima deprimunt,
Eminentissimos coæquant pulveri.
Aurea Regum poma nobilissima sunt mortis bellaria,
primi Honorum Fasces triumphales manubiæ,
& quidquid magnificum orbis reputat;
Libitinæ est spolium ac exuviæ.
Nulli etiamsi Semideus esset Parcæ parcunt,
ut vitæ hominum, ita & famæ invidæ.

Nullum Phænicem è ſuis buſtis reſurgere,
totos Scævolas exuri,
ſorberi Coclites,
Codros ut gregarios milites interire,
Julios Cæſares memoriâ aboleri,
oblivioni tradi vellent.
Supereſt tamen homini, quo fata ſuperet;
& mortis malignitatem eludat.
Genus à Proavis Atavisq; deductum,
virtus, ſapientia & merita
à mortalitate eximunt,
ab oblivione vindicant,
æternitati commendant.

Horum ſuffragiô

Succiſi etiam vitæ flores gemmant,
falcaſtrata in culmo juventus floret,
decocta ſenectutis nives, in Pariis marmoribus albeſcunt.

Hæc involutos mortalibus umbris illuſtrant,
dejectos ad ſandapilam erigunt,
tumulos in theatra gloriæ convertunt.

Aliàs

cum ſervanda eſt animorum majeſtas
ut imitatores habeat,

pro immortalitate magnorum Virorum,
quidquid in Orbe artificii eſt, laborare cogunt.
Phidias ut ſtatuas extruant, Praxiteles ut Coloſsos erigant,
Parrhaſios ut in imagine depingant,
& ſecuturæ poſteritati exhibeant.

Multum

Multùm præſumpſerunt fata,
in Jlluſtriſſimum & Reverendiſſimum *olim*,

MICHAELEM

In Magna Kunice

KUNICKI,

EPISCOPUM Arſionenſem,
SUFFRAGANEUM, CANONICUM,
& OFFICIALEM Generalem Cracovienſem,
ABBATEM Commendatarium *Claræ Tumbæ*,
attrectârunt Infulatum Verticem,
excuſſerunt è manibus Pedum Pontifici,
Judicem ad urnam condemnârunt,
Sangvine, virtute, meritîs Jlluſtriſſimum
mortis operuerunt caligine.
Immortali tamen ejus nil nocuere famæ,
vivit Principum in corde,
in Diœceſis pectore,
in amore Patriæ,
in memoria ſæculorum perennabit.
Poſthumam illius imaginem
quam Apelles pingit dolor,
tradet ſeris nepotibus poſteritas.
Fumoſam nunquam fore, crede,
quam genuini Sangvinis, Virtutis, & Meritorum
colores exprimunt,
lugubris calamus pro Zeuxis penicillo,
in lineamenta deducit.

COLOR I.
Ab Illustrissimo Sangvine.

PRima Præsuleæ in Polonia Imaginis tinctura,
Sangvis est.
Violas & Purpuras non speret!
Qui sangvinem à Magnis Antecessoribus non traducit.
Quod si enim;
Lilia Imperium, Rosæ Principatum super flores obtinent;
quòd illa è Junonis lacte, hæ de sangvine Adonidis pullulârunt,
Joves coluntur tanquam Deorum germen,
& Cœlum possident iuxta fabulas:
Gygantes tanquàm terræ fœtus, nec terram occupant.
Ad concavum usq; lunæ ascendit ignis,
cui cunæ illustres sunt,
fulmina & nubes nymbis gravida
tanquam terræ vapor & exhalatio, ad ima protruditur.
Gemma Cœli rorantis partus, Regum coronis inseruntur
pumex ex spuma maris natus ubiq; calcandus prostat.
Ingerunt verticem Cœlo immortales Cedri,
quòd profundiùs radices figunt.
Reptant humi serpilla,
quæ vix ad extimam terræ superficiem se exerunt.
Orta è Paradiso flumina universum Orbem alluunt;
tenui & limoso fonte latex profluus
vix unum implet jugerum.
Meritò
quibus subobscurè nasci contingit,
ab Illustrissimis Præsulum titulis arcentur.
Aarones vocantur ad Infulas;
quibus communis cum Regibus sangvis est.

Marc

Mare Sangvis rubrum
in Ortus Illuſtriſſimi *olim* Præſulis influxit,
ad effigiandam ejus ſpeciem aliô non opus eſt purpuriſſô
Minium hinc procul eſto;
adulterinus is color
Purpuras mentitur non tingit.
Demortui Præſulis Sangvis
& Regum Purpuris,
& Principum Dibaphis
& Præſulum Violis eſt concolor.
Paternus per CAROLUM KUNATH,
Sacri Romani Imperii Comitem,
ab OTTONE III. Romanorum Imperatore
ad MIECISLAUM I. Poloniæ Regem
ob Orthodoxam ſuſceptã fidem applausûs ergò Legatum,
Romanum Imperium & utramq; Galliam,
in GASPARO KUNICKI Pocillatore Czerniechovienſi
Magno tanti Antiſtitis Patre totam Poloniam afficit.
Maternus per ELEONORAM SOLTYKOWNA Aviam,
ANNAM POTOCKA Matrem,
Celſiſſimi olim THEODORI POTOCKI
ARCHIEPISCOPI Gneſnenſis,
Primatis Regni Primiq; Principis,
Illuſtriſſimi olim JOSEPHI POTOCKI
Caſtellani Cracovienſis,
Supremi Regni Exercituum Ducis Sororem,
totam Europam per Paleologos Cæſares attingit.
Colligatos Sangvinis nexus,
cum LUBOMIRSCIIS & CZARTORISCIIS
WISNIOWIECCIIS & SAPIEHIS

 WORO-

WORONIECCIIS & RZEWUSCIIS
SWIĘCICCIIS & BIENIEWSCIIS
STĘPKOWSKIIS & CZERNIIS
WERESCZENSCIIS & KRUSZELNICCIIS
NITOSŁAWSCIIS & BORZYMOWSCIIS
BONECHOWSCIIS & STARZECHOWSCIIS
calamus non innuit;
cum *Tristium* Librum conficit non *Fastorum*.
Totam evocaret Poloniam in paginam,
singulas Corporis Reipublicæ venas aperiret,
si ad defuncti Præsulis lineamenta
vel unum POTOCCYORUM Sangvinem colligeret.

COLOR II.
A Virtutibus.

NUlla pulchrior Imago,
illâ quam natura effingit, virtus expolit.
Indulgentior natura
omnem in Adonidis vultum formam congerat;
desit virtutis color,
informe monstrum & larva erit.
Vernet in Helenæ facie roseus flos genarum,
rideant gemini oculorum soles,
politam crystallum tersum dentium ebur æquet,
si virtus non superaddet cerussam,
nihil differet à Medusa.
Pro posthuma Arsionensis Præsulis Imagine
aureamtabulam porrexit natura;

Cui

Cui ita virtutes impressit,
ut vivas non solùm vivus,
sed etiam defunctus exhiberet.
Hinc illi tot formæ, quot virtutes;
omnium in se exemplaria collegit,
& omnium unus exemplum fuit.

PONTIFEX,

vitâ, conscientiâ, obsequiô,
DEO & hominibus gratus,
Sine ostentatione pius,
sine fictione candidus.
sine assentatione rectus.
Authoritate gravis,
affabilitate comis,
ad amorem omnium,
ad admirationem singulorum.
Vigil & beneficus,
quieti subditorum vigilias Pastor immolavit,
ut illis non deesset, sibi plerumq; defuit,
iniqua sorte oppressos,
fortunæ suæ damnis felices fecit.
Liberalis ultra exempla,
ultra proventus profusus,
ultra pauperum vota munificus.
Absq; dejectis ad pedes amplexibus succursu pronum,

absq; implorationum questu largum ;
absq; diserto gemitu beneficum se exhibuit.

Doctus & prudens;

Laureâ Doctorali in Sapientia Romana coronatus,
Doctorum gloria,
eruditorum Corona,
literatotum frons prima,
Sapientiæ oraculum,
Prudentiæ simulacrum fuit.

Noverat apprimè præterita,
præsentibus hìc & nunc providit,
futura ceu ex specula à longè prospexit.
Omni comparatione major,
nisi quod æqualem se omnibus æstimavit,
& à fastu alienissimus,
cum omnia novisset,
suam ignoravit magnitudinem.

Genere, eruditione, titulis magnus,
ex sublimi Consangvinitatis Arbore
nihil præter umbram,
ex alto eruditionis profundæ
nihil præter fundum,
ex titulorum luce.
nihil præter nubem acceptavit.

Virtuosissimus aliàs Præsul,
nisi morborum defectibus obnoxius fuisset in corpore,
& eorum malô obijsset.

COLOR

COLOR III.
A Meritis.

Hactenus
Posthumam Arsionensis Præsulis Imaginem,
Sangvinis purpureo, Virtutis candido colore
lugubris pinxisti calame!
cæruleo meritorum pingenda restat;
qui, ut Cæli ita Pontificis hujus proprius est.
Quidquid enim in vita egit, pro Cælo egit,
incorruptibilitate, motu & operatione,
per omnia Cælo similimus.
Judex incorruptus, Pontifex in laboribus continuus.
Viginti quatuor annos sub Infula exegit,
omnes usibus Ecclesiæ & Diœceseos impendit
SUFFRAGANEUS.
Trium Craciæ Infulæ Atlantum brachium,
Sucollator & dextra manus.
Pastorales curas sub CONSTANTINO SZANIAWSK
constanter,
sub JOANNE ALEXANDRO LIPSKI
magnanimè,
sub ANDREA ZALUSKI feliciter moderno,
obivit viriliter.

Major Hercule,
illius duodenos nisi labores computat Antiquitas;
Pontificis hujus acta, si recenserentur omnia,
fatigarent præla,

 Typo-

Typographicas Columnas frangerent,
Scriptorum calamos hebetarent.
Implêrunt Diœcesim amplissimam,
suspiciuntur in Clero,
in Vavello eminent,
in Dedicatarum Ecclesiarum parietibus prostant,
exponuntur in Aris,
leguntur in Actis,
in consecratis calicibus libantur,
in Campano ære resonant,
& prope sunt infinita.
Hoc admirationem parit!
quòd ut Intelligentia una movendo Cælo,
unus Sol illustrando universo,
unus Alexander vincendo orbi,
unum cor regendis corporum arteriis,
unus tot & tantis suffecit MICHAEL.
Centum septem Ecclesias,
ducenta quinquaginta septem Altaria fixa,
quingenta nonaginta octo portatilia,
quingentas septuaginta quinque campanas,
mille trecentos sexaginta quatuor calices,
octingentas quinquaginta tres patenas consecravit.
Leviticus hac in Diœcesi Ordo,
totus fere opus manuum Ejus est:
duos super duo millia Presbyteros,
mille

mille nongentos triginta ſex Diaconos,
mille ſexcentos ſeptuaginta tres Subdiaconos,
Minorum Ordinum Clericos bis mille ducentos
quadraginta quatuor, ordinavit.

Etiam in Inſulatos Poloniæ Aarones,
ſuâ operâ influxit,
Epiſcoporũ & Abbatum tredecem Conſecrationi adſtitit,
Hierarchiæ Eccleſiaſticæ dignitatem auxit.
Litat gloriæ ejus & Virginalis caſtitas,
quòd quatuor *Abbatiſſarum* manibus Pedum inſeruit,
quindecem Religioſo habitu inveſtivit.
octuaginta octo velum impoſuit.
Sacramenti Confirmationis Character,
longus Præſuleorum laborum Syllabus eſt;
ad Jubilæi annum,
tribus ſuper octuaginta millia octingentis quinquaginta ſex,
ſtante Jubilæo,
centum novemdecem millibus ſeptingentis viginti novem
perſonis illum impreſſit,
& ſignatorum in Apocalypſi numerum ſuperavit.
Abrahamo dices ſimilem;
ille multorum credentium,
hic confirmatorum in fide Pater eſt plurimorum.
Quatuor propè luſtris Cracovienſis
ARCHIDIACONUS,
exactè huic Honori reſpondit & oneri.
Epiſcopi Oculus,
Pupilla Cleri
& Diœceſis Speculum.

Trecentas quinquaginta quinque visitavit Ecclesias,
in omnium jura introspexit,
erexit si quæ collapsa erant,
si quæ obliterata innovavit.
Cum Ecclesiarum Sponsis egit ut Pater;
quæ reformanda erant insinuavit suaviter,
quæ corrigenda occurrebant, fortiter inculcavit.
Commendavit ne eorum Sponsæ essent situ squallidæ,
facie incomptæ,
cultu neglectæ,
apparatu laceræ,
sed ut Agni Sponsas decet, circumornatæ.
Par illi cum Ordinandorum examini præesset circumspectio,
nisi Palladi nuptos,
Musarum amicos,
Ecclesiarum esse voluit Sponsos.
Arcuit à Regali Sacerdotio, scelerum mancipia,
rude & profanum genus, à Sacris Aris exclusit,
ad salutarem animarum curam
nisi peritos Medicos admisit.
OFFICIALIS GENERALIS,
grandem in Foro judiciario merendi campum nactus,
nihil quod hujus Officii partes exigunt, omisit.
Juris Utriusq; optimè gnarus,
in arduis Gratianum consuluit,
Jurisperitorum scripta revolvit,
sensum exploravit,
non ex proprio arbitrio decreta tulit,
ad mentem Justitiæ judicavit.

Plerumq;

Plerumq; magnarum Causarum momenta
momentô solvit,
deliberatissimus.
Lites partium sine difficultate composuit,
felicissimus.
Ad legum tabulas intentus,
litigantium personas non respexit,
circumspectissimus.
Rigorem Juris temperavit clementiâ,
in peccata severus in peccantes mitis;
recidit illæsa arbore stolones,
intactô nucleô corticem fregit,
aurum depuravit à scoria,
fucos ab apibus, æruginem à metallis secrevit,
paleas à granis excussit,
id est, *in reatus pœnam non in reos extendit.*
In publico Regni Areopago
multoties Sanctissimum Themis Mystam habuit:
litavit æquitati fidem, impendit operam,
si res exegisset;
litâsset & vitam in victimam.
Calluit Regni jura ad numerum,
executus ad ungvem,
justitiam coluit impensè, zelavit pro ea fervidè.
Nunquam sanctior & securior
in Tribunali Polono Astræa sedit;
quàm Angelicô MICHAELIS ministeriô;
Libram illius tenuit æquanimiter,
pro tuenda innocentia Gladium strinxit fortiter.
Hôc illiciô à Sacra Sede,
& SERENISSIMIS Poloniatum Regibus,
D discernen-

discernenda illius abitrio devolvebantur negotia,
quod talem invenirent Arbitrum;
Cui & illa pars in plausum assurgebat,
quæ in causa succubuit.
Non licitum cuivis est de omnibus meruisse;
licuit Præsuli KUNICCIO,
qui sub Interregni tempus
Post fata AUGUSTI II. Poloniarum Regis secundissimi
In Italiam, Germaniam, Gallias
LEGATUS,
& Patrios est lucratus amores, & exteros.
CLEMENTI enim XII. Pontificum Summo,
CAROLO VI. Imperatorum Augustissimo,
LUDOVICO XV. Franciæ & Navarræ Regũ Potentissimo,
ita locutus est;
ut & votis Polonæ Reipublicæ:
& desideriis tantorum Europæ Capitum responderet,
inter Galliarum LILIA floridissimus,
inter Austriacorum ALAUDAS suavissimus,
inter Latiæ Eloquentiæ Principes,
facundissimus Orator.
Docuit; extra Imperium eloquentiam fasces in Polonia tenere,
extra Tusculum Tullios nasci,
extra Gallias Hercules reperiri.
Æquè grata meritorum, ejus Patria ac Ecclesia,
Purpuras, Fasces, Titulos in KUNICCIUM congessisset;
nisi Michàël
Administratorium se esse *Spiritum* maluisset,
& onera ferre quàm demandare,
gloriosiùs reputâsset;
Operosorum in Vinea CHRISTI PONTIFICUM
Idea, Prototypon, Imago & Exemplar.

UMBRA

UMBRA
Posthumæ Imagini
ADJECTA.

COmmune id pictorum & dolorum est,
quòd partes suas non aliter agunt,
nisi per umbras;
ut magis artificium elucescat.
A livida terræ gleba eas deducit Zeuxis,
à sepulchrali pulvere,
â squallido funeris apparatu dolor.
Utriusq; operi venustatem addunt,
hoc uno inter se discrepant;
quòd in imaginem à Zeuxe: inductæ,
oculos oblectant,
à dolore, exasperant.
Lædit acerbus sepulchri pulvis pupillas,
atra funebralis pompæ nox excæcat.
Etiam desævit in animos,
corda opprimit,
pectora sauciat,
viscera torquet,
grande åffectuum tormentum,
& lachrymarum torcular.
Feralis hæc umbra,
etiam posthumam tui Imaginem afficit,

ILLUSTRISSIME *olim* ANTISTES,
quæ omnibûs quia est referta gratiîs;
nisi per intermediam mæroris nubem
videri non potest.

Exhibet in se Patriæ amores,
desideria Ecclesiæ,
Familiæ decora,
amicorum oblectamenta,
singulorum commoda,

nisi excordi conspicere eam licet,
sine suspiriis & lamentis.

Hinc est;

quòd cum in Castro doloris spectanda exponitur,
plorat amissum Ecclesia PONTIFICEM,
dum PRÆSULEOS labores recolligit;
deperditum Patria CIVEM,
dum ad ejus obsequia se reflectit;
fractum Familia COLUMEN,
dum decrementa gloriæ suæ attendit;
amici, dum solatia requirunt,
omnes, dum singula.

Primus ad Ecclesiæ lachrymas concurris,

Celsissime Princeps,

ILLUSTRISSIME & REVERENDISSIME DOMINE.

D. ANDREA

ZAŁUSKI,

EPISCOPE Cracoviensis, DUX Severiæ,
cum illi ultimum præstas obsequium;
qui Authoritatem tuam SUFFRAGANEUS,
Spiritualium regimen VICARIUS,
æquitatem OFFICIALIS prælegulit.

Medio

Medio Annuli tui orbe
ſuper amici PRÆSULIS fatis,
integros Poloniæ mærores exhibes,
ILLUSTRISSIME & REVERENDISSIME DOMINE,
D. VENCESLAE
SIERAKOWSKI
Premyslienſis EPISCOPE;
in Cujus corde
dum Sagittæ tuæ metam fixeras,
ut illud poſſidebas vivum,
ita in Premyslienſi Cathedra ſervas emortuum.
Fatalis ANTISTITIS caſus,
nec Vos afficere non poteſt
ILLUSTRISSIMI
KUNICCII,
STEPHANE Chotecenſis,
JOANNES Czulcicenſis CAPITANEE.
Plorat reciſa fronde vitis,
cordis ictum ſingula membra ſentiunt,
everſâ Cedrô Libanus tremit,
collapſa ſublimì turre, vicina tecta corruunt,
exſecto magnæ molis è petra lapide,
contiguas rupes fragor concutit,
Occidente ſole palleſcunt ſidera.
Reciſus ab arbore Familiæ VESTRÆ
aureus palmes, ploratis,
Cor ferrô Libitinæ ſauciatum, ſentitis,
Cedrus proſtrata jacet, contremiſcitis,
dejectus INFULATUS Vertex, corruitis,

E avulſus

avulsus angularis Domûs lapis, concutimini,
Sol occubuit, palletis.
Grandem Avito Vestrûm *Krzywda*
intulerunt fata injuriam,
ILLUSTRISSIMI & EXCELLENTISSIMI DOMINI
RZEWUSCII,
SEVERINE Volhyniæ,
VENCESLAE Podoliæ Palatini,
defuncti PRÆSULIS ex Sorore Nepotes;
cumq; aliter eam vindicare non potestis,
profusîs lachrymîs eluitis.
Communicatis cum RZEWUSCIIS sangvinem,
ILLUSTRISSIMI COMITES
VINCENTI Capitanee *Korytnicensis* & HYACINTHE
KRASICCII,
communicatis & dispendia.
Etiam POTOCCIORUM Domui mors PRÆSULIS
Crux est dolentissima.
ILLUSTRISSIMI & EXCELLENTISSIMI DOMINI
ANTONIUS Palatinus Belzensis,
JOSEPHUS Czorstynensis, Szczyrzycensis CAPITANEUS,
ELISABETH Wieksnensis CAPITANEA,
JOACHIM Leopoliensis, IGNATIUS Luchoviensis Præfecti,
deplorant Fratrem;
URSULA è Potocciis *Wielopolscii* Pincernæ Regni Consors,
ELISABETH *Moszczynii* Brestensis Cujaviensis CAPITANEI,
deplorant Avum:
& Domum POTOCCIAM,
ut dedisse KUNICCIO viventi sangvinem,
ita non negare lachrymas defuncto testantur.
Eluctantur & ad Vavelli apicem luctus,
ac in triplici *Illustrissimi* Capituli Corona,
non unum Orbem implent.

Maximè

Maximè ſe *Auguſto* Cleri communicant *Senatui*;
cujus Cor erat KUNICCIUS,
vitalis ſpiritus MICHAEL,
Stator Jupiter, & Tripos Delphicus.
Implevit illum majeſtate PONTIFEX,
rara animi demiſſione ex ARCHIDIACONO CANONICUS,
propenſo erga omnes affectu CONFRATER,
mors illius, commune diſpendium eſt ſingulorum.
Veſtrorum potiſſimùm preſſura animorum,
MAGNI PRÆSTITES.
Quodſi enim
non videre, nec videri,
non alloqui, nec reſpondere,
non conſulere, nec conſilium accipere,
oſculum manui non infigere,
nec mutuum recipere,
ad diviſionem animæ prope accedit;
affectuoſiſſimi Vobis PRÆSULIS fatum,
omnia hæc præripuit,
& cordium reducit ad anguſtias.
Non illis medelam ferre potes,
PERILLUSSTRIS & REVERENDISSIME DOMIN.
D. HYACINTHE
ŁOPACKI,
Cathedralis CANONICE,
& ARCHIPRESBYTER INFULATE Cracovien
DECANE Sandomirienſis,
quòd affectiones, quæ ex morte amicorum proveni
inſanabiles ſint & malignæ.

Nec Fasciâ tuâ arctantur,
PERILLUSTRIS & REVERENDISSIME DOMINE,
D. JOSEPHE
GORZENSKI,
Cathedralis Cracoviensis & Posnaniensis CANONICE,
Collegiatæ Pilecensis PRÆPOSITE & OFFICIALIS perpetue,
intra cujus peripheriam
ut omnes vivi PRÆSULIS complexus es amores,
sic super defuncto omnes dolores comprehendis.
Magnam obsequiorum in Avum tuum,
EMINENTISSIMUM olim CARDINALEM,
in Te non exiguam affectuum, sementem jecit,
PERILLUSTRIS & REVERENDISSIME DOMINE
D. NICOLAE
LIPSKI,
Cathedralis Crac: CANONICE, Insignis Collegiatæ
Kielcensis PRÆPOSITE, Curiæ EPISCOPOPALIS AUDITOR,
ac Generalis JUDEX,
meritò nunc myrrhæ fasciculos, manipulos doloris,
Rastrîs Gentilitiîs coacervas & colligis.
Succumbit aggravationi dolorum,
& Generale Cracoviense CONSISTORIUM,
cumq; OFFICIALEM suum
à mortis sententia nullô modô vindicare potest,
nihil ei præterquam flere & protestari licet.
Auget querelas Diœceseos Clerus,
quòd PONTIFICEM optimum,
egestas quòd misericordissimum PATREM,
superstes famulitium quòd liberalissimum DOMINUM
amisit & perdidit.
Accumula planctibus planctus,
quisquis acerbi hujus funeris spectator es!
& disce! quòd
in Imagine pertransit homo. Psalm. 38.

